



Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quidque is fugere,
quid agere debeat, quam exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus IX. De Execrationibus, seu Imprecationibus. Plurimum interesse,
ut quis his Execrationibus abstineat; tum quia sæpe nocent Ijs, quibus
maledicitur; tum quia nunquam non gravissimè nocent ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

DISCURSUS IX.

De Imprecationibus.

Mones ignivomi non semper supremo ex orificio flammam Cælum versus evibrant, sed non semel quæsito alibi exitu ex latere sulphuream illam & piceam pestem, quam intimo sinu fovent, subiectos in agros ac villas effundunt. Nec dispar hominum irâ ex ardescientium conditio mihi esse videatur. Non semper blasphemis cælum trati petunt; sed crebro, velut ex latete, in terras, nunc in familiares, & domesticos, nunc in alienos, terribilium execrationum colluviem profundunt: quæ & ipsa sulphurea ac bituminosa appellari potest, cum tantâ urendi ac nocendi vi polleat. Postquam igitur vidimus, quam detestabiles sint blasphemantium linguae, res postulat, ut pari modo perpendamus, quam lingue tot execrationum & imprecationum feraces, quas crebrius etiam quam blasphemantium sacrilegia audire est, omni & ipsæ virtutio dignæ sint. Propositum igitur est demonstrare, quod plurimum referat, linguam freno in his imprecationibus proferendis moderari, duas maximè ob causas: quia nimis plurimum non raro damni ijs afferunt, contra quos vibrantur. Nunquam autem non pernicioſissimæ sunt illis, à quibus proferuntur,

I.
II. Ea verborum divinorum vis est, ut quod dicunt efficiant: *Ipse dixit & facta sunt.* Si nivem Deus nigram diceret, illa carbone nigrior evaderet. Si carbonem diceret album; hic confessim candore nivibus certaret. Viderem hoc est diebus singulis in Sacramentis, in quibus, quidquid minister Dei nomine dicit, id ipsum confessim efficit. Unde si panem is in manus sumat, & Christi nomine pronuntiet: *Hoc est corpus meum*, facit, ut, quod antea panis erat, momento illo panis esse desinat, & Christi Corpus fiat. Hoc igitur loqui vere divinum est; facere loquendo: at *De Sacra que hunc Dei Sermonem S. Ambrosius l. 4. c. 4.* *Operatorum* dixit. Sicut igitur, cui bene precatur Deus, is confessim omni bonorum genere repletur; ita in illum omnia mala catervatim irruunt, cui Deus maledicit. *A facie Ier. 23.* *maledictionis luxit Terra.* Talem vim humano sermoni non inesse certum est: imò quo ferè plus homines clament & vociferantur, hoc efficiunt minus; & quo larrant vehementius, hoc ostendunt apertius, se canum instar rabidorum quidem, sed annis gravium, edentulos esse. *Indignatio I. 16. 6.* ejus plus quam fortitudo ejus. Voluit tamen deus, ut humanus quoque sermo non

DISCURSUS NONUS

116

non semel efficeret, quod precabatur malum; Tales fuerunt Vatis Elisæi voces, qui cum vix imprecatus malum esset pueris parvulis, qui ad insultandum ipsi egressi fuerant, vidit eos sine morâ à duobus ursis, suis è speluncis erumpentibus, discerpi ac dilaniari universos. Ec hanc vim Deus verbis servorum suorum fidelium conferat; cum sati nôrit, eos ad impredicandum aliis non nocendi, sed juvandi & commodandi studio duci: nam etsi, quod optant, malum noceat corpori. Animæ tamen multum affect emolumenti. Sanctus Innocentius Abbas, cum Filium, quem antequam divino se manciparet obsequio, genuerat, gravi se flagitio impianarem offendisser, ad DEUM conversus: Mitte, ajebat, mitte ô Deus ex Orco spiritum aliquem, qui animæ bono, corporis autem supplicio, in hunc filium meum invadat, quem non pudet tuis, ô summe Pater, jussis & imperiis repugnare. Res mira! vix vir Sanctus loqui desierat, cum Juvenem illum holpes infernalis invasit tanto furore, ut necesse fuerit vinculis illum constringere, quin vel tantillum Parenst eâ re moveretur: cum charius huic esset, videre illum luctantem cum malo Dænone, quam à blandiente suâ carne prostratum. Nec miror, tantum virtutis à Deo servis suis communicari, cum cædem operâ, dum precentur male, bene simul precentur.

[2. Cor. 5.] *Judicavi tradere hujusmodi satanam in interitum carnis, ut spiritus salvus fisi.*

III. Mirabilius illud est, quod Deus vim ejusmodi illorum quoque verbis conferat, qui supra hominum vulgus virtute non assurgunt: confert tamen, justis ad id judiciis suis inductus, quæ adorare & revereri magis decet, quam discutere. In egenis, pupillis, viduis cur id faciat, non procul petenda est ratio; facit id ipsis defendendis. Etsi enim militer illi reprehendi mereantur, quando alii armis, quibus contra potentiorum vim se tueantur, destituti, lingua vindictam perunt; non tamen idcirco exequi desinit Deus, quæ ipsis opprimentibus precantur mala, ut qui opibus valent, dediscant eos despiciunt habere. Non relinquas querentibus tibi retro *Ecclesiasticus* *maledicere*, Ecclesiasticus monet, maledicentis enim tibi in amaritudine anima exaudiatur deprecatio illius. Ad hoc affirmandum historiam audite, non partum mirabilem, quæ vos doceat, iram inopum non contemnere. Sub annum sexagesimum sextum supra millesimum ducentesimum; Margarita filia Hertici Ducis Brabantæ, Florentij Hollandiæ Comitis uxor, stipem rogata à pauperculâ, quæ geminam prolé uno partu effusam brachis gestabat; eorum more, qui ad mensam ferculis instructissimam disserit de jejuno loquuntur, quod servare pensi non habent; cur, exprobando dixit, si non habebas, unde te & liberos nascituros aleres, viro nubere temere ausa es? Misera mulier, pro stipe quam expectarat, hoc convicio onerata, ita ita excanduit, ut ad Principem istam feminam conversa; faxit Deus, responderit, ut pro genellis quos ego peperi, tu tam multos parias, quot annus



Lips. in
Virg.
Hal. e. 3.
Lud.
Guicci-
ard. in
Belg. de
scripto

annus dies numerat. Quis crederet? tatum Deus votum habuit. In humana Princeps novem abinde mensibus die Veneris sancto trecentas sexaginta quatuor proles peperit, quæ vivæ omnes, et si mole tam parvâ, ut cuandas catinus unus caperet, ad sacras undas delatae, hisque tinctæ paulò post cum matre suâ mortuæ sunt. Discite hinc, an operaे premium sit attendere, quomodo cum egenis & miseris loquamur, & an Deus ratam habeat sententiam alicujus miseri contra eum, qui ejus calamitatem injuriâ illatâ exasperat.

IV. Neque tamen hoc alicujus momenti est, si comparetur virtuti, quam Deus contulit Imprecationibus Parentum contra liberos. Et quia hæ frequentes sunt, necesse est, vos deditâ operâ circa has diligenter edoceam. Pleni sunt Annales funestis eventibus, qui abunde demonstrant, quæ non consuetarum ejusmodi execrationum vis sit: unde vel Ethnici, solo naturali lumine collustrati, vehementer eas damnârunt. Plato septimo legum suarum libro prohibet, ne quisquam, quem prolem habere contigerit, unquam huic maledicat, ob eventus expectatione multò funestiores, quorum periculo præceps ejusmodi ira liberos exponat. Hæc autem tanta & tam præsens vis tria meo judicio ad capitare revocari potest.

V. Primum est, quod Deus hac ratione tueri velit autoritatem paternam, à discolâ Juventute nullo sèpe respectu contemptam. Parentes in terris Dei locum obtinent: & his ut

nomen Parentis, ita & jus regendi suum sobolem commune Deus esse voluit. Jus autem & Authoritas ejusmodi, quam impunè alij non reverantur, vix vel in Theatro slocum decentem obtinet. Deus proinde ad illam inter hominem stabilendam, ut quæ ad rectam sobolis educationem tanto pere necessaria sit, non ratiō de cælo ratas habet in omnium oculis imprecatiōes illas, justo dolore extortas, quas Parentes Dei Vicarij in terris proferunt.

VI. Alterum caput, ex quo vis his Imprecationibus tribuitur, est ipsa male consulta & præceps Parentum temeritas, quæ meretur vel in innocentia eorum sobole puniri. Non aliâ olim plagâ & supplicio, immittiùs Deus in contumaciam Ægyptiorum animadvertisit, quām postremo, quod fuit, cædes omnium primogenitorum: hoc autem Deus eos affecit, ut cognosceretur, quoisque divina se ejus justitia porrigeret; quod nimirum vel in liberis eorum Parentes ad promeritam pœnam vocare possit. Sic Tertullianus observavit, qui argutè pendit, DEUM, cùm perspecta ipsi sit Parentum propensio, quā feruntur in bona liberis suis procuranda, & avertenda mala; minari Parentibus sceleratis calamitates liborum, Parentibus autem, qui Deo obtemperent, polliceri bona in liberos conferenda; ut Parentes, si quos ad obediendum DEO non moveat propriorum commodorum studium, moveat saltem ille amor, quo bona liberis suis optant.

*Ut si Contra
Non Marca*

Contra Marc. non sui, saltem liberorum amore, di-
vinis legibus obtemperent: Quæ sunt
antiqui illius Doctoris verba.

VII. Magni omnino momenti res
ista est, & proinde conabor efficere,
ut eam probè assequamini. Ponite
igitur duplex pœnarum ac malorum
genus inter nos inveniri. quarum alia
1. 2. q. 81. animam, corpus alia afficiant. Ma-
ar. 2. lis, quibus anima punitur, ob Pa-
rentum delicta, si quidem S. Thomæ
credimus, liberi ipsi à Deo non casti-
gantur, nisi tum fortasse, cum & ip-
si partem aliquam in parentum pec-
catis habent: & hoc sensu dixit Eze-
chiel: *Filius non portabit iniquitatem*
Patris. Ad alterum autem pœnarum
genus quod artinet, eo sæpe liberi ob
Parentum delicta puniuntur (ut plu-
ribus locis Sacrae Literæ affirmant) &
quidem nonnunquam usque in Ne-
potum nepotes, qui fermè ultimi esse
solent, quos è se genitos intueri alicui
datur. Legibus humanis non ita fit.
P. Abul. Hæ enim Parentum delicta in liberis
in c. 34. non puniant, nisi sint læsæ Majestatis;
Exod. q. in ceteris autem, quæ tam enormia
9. 10. non sunt, volunt non alios puniri,
I.C. vim. quam qui re ipsâ deliquerunt. *Unus-*
in ff. de quisque ex suo admisso sorti subjicitur.
pan. Sed neque Parentum promerita in
liberis humana Res publica remuneratur.
Deus proinde, qui ut munifi-
centiâ nullis limitibus definita ma-
jora, quam homines possint, largitur
pro rectè factis præmia; ita & male
facta gravioribus pœnis Justitiâ suâ
infinitâ plectere potest; minatur, quod
Parentes sceleratos ad nepotes usque
nepotum plectere velit, quia ipse

etiam pollicetur, quod eorundem re-
ctè facta ad mille simam usque proge-
niem velit remunerari: unde cùm
dixisset: *Ego sum Dominus Deus tuus, Exod.*
visitans iniquitatem Patrum in filios, in 20. 5.
tertiam & quartam generationum eo-
rum, qui oderunt me: mox addidit: *&*
fascens misericordiam in milliab. qui
diligunt me & custodiunt precepta mea:
noc perinde, ac illud è causâ, ut
tanto vehementius Parentes impelle-
rentur ad bene agendum. Ceterum, lib. de
Ideo Filiis pro peccatis Parentum puniun-
tur, ut à Peccatis Parentes abstineant, Arc. 5. ii
quæ sunt S. Ambrosii verba, nam Pa-
ter plus afficitur injuriis filii sui, maxi-
mè quarum ipse author existat. Igitur
hanc S. Doctoris assertionem ad rem
nostram applicando, en alterum ca-
put, ob quod tantarum sunt virium
imprecations, quibus Parentes liberis
suis optant mala; ut ipsi nimis Parentes
puniuntur: & ex hoc sit, ut
execrationum ejusmodi vim experian-
turnon semel proles suavissimæ, quæ
suo ceteroquin candore & innocentia
nullâ non benevolentia dignæ essent.

VIII. Minus ne certa hæc mea vo-
bis videtur assertio: historiam audi-
te, cuius sine tenero animi sensu me-
minisse non possum. In ditionis Brani.
Lucensis villâ aliquâ mulier filiolam otta in
suam octennem, cùm bilis effervesce-
vit. S. ter, his identidem verbis alloqueba-
tur: *Vade, ut lupi te devorent.* Con-
tigit autem feriatâ aliquâ die, parente
utroque in templum ad rem divinam
audiendum profecto, solam domi
manere filiolam: cùm ecce lupa, quæ
non procul inde in specu morabatur,
solam

solam præ ædium foribus puellulam conspicata, mordicus misellam artipuit, & cùm medium è vestigio devorâsser, quod supererat, in antrum suum tulit, eo catulos, teneros etiamnum, pastura. Sacro peracto redit domum patens uterque infelicitis puellulæ, & cùm hanc non invenissent, ad eam quærendam quaquà versum mœsti discurrent: & en, semiram quandam notant sanguineis guttis aspersam, quæ in silvam ducebat: hanc dum insistunt, vester primò sanguine tintetas & laceras reperiunt, mox etiam ad cubile usque lapæ progressi lupinos inter catulos partem capitatis, & alias miserias innocentissimæ ceteroquin puellulæ reliquias offendunt, eo uno nocentis, quod matre esset genita, quæ linguae suæ moderari nesciret. Fuit hæc laniena adolescentulæ miseratione plena, cùm facile credi possit: ideo à Deo ætate illâ tenerâ sublatam è medio, ne cum annis materno magisterio ad maledicendum & ipsa proficeret: ad matrem quod spectat, fuit illa opus vindicis Dei Justitiae, ut hoc illa quoque eruditetur, quanto opinione ipsius majus esset scelus, quod linguae effrenis licentia admiserat.

IX. Tertium denique caput, propter quod Deus ratas habet, & vim suam exercere vult, diras & execrations, quibus Parentes liberos execratur; est ipsa liberorum noxa ac scelus: vult siquidem hac ratione palam facere Deus, & docere liberos, non aliâ ratione certius ipsos vitæ spatia prorogaturos, quam si Paren-

tes diligenter observent: *Honora Pa-*
trem tuum, & Matrem tuam, ut sis Exod 20
11. 1. 2.
longioris super terram. Scribit S. Au- de Civite,
gustinus: viduam fuisse decemlibero- c. 8.
rum Matrem, ex quibus mares septem,
fæminæ tres: obfirmârant omnes hi
animum ad non obtemperandum ma-
tri in te, quam ipsa imperaverat; un-
de Mater, in furorem & amentiam
aæta, hoc ipsis malum imprecata est;
Nulla vobis unquam concedatur qui-
es; quia Matrem, que suâ vos alvo
gestavit, tam non finitis quiescere.
Hanc ad vocem, tanquam horren-
dum tonitru, consternati liberi planè
omnes, toris cœperunt artibus con-
tremiscere, & violentiâ tantâ agitari
ac concuti, ut nunquam, ne quidem
cùm somnum capiebant, interquie-
scerent: pudore igitur suffusi deser-
tâ patriâ per omnes Romani Imperii
Provincias oberrârunt, viva ubique
testimonia virtutis, quam in immo-
rigeros liberos Parentum diræ habe-
rent. Tandem cùm octonus vita in
miseranda hac trepidandi contuma-
cia defecisset, superstites duo, mas
unus, & una fæmina, in Divi Stephani
Hippone, ubi Episcopus erat Augusti-
nus, ædes sacrâ valetudinem pristinam,
& ab irquietâ illâ agitatione cessati-
onem impetrârunt. An dubitatis por-
to, verènè Deus dixerit, quod sicut Eccles. 3.
Benedictio Patris firmat domos filiorum. 114
ita maledictio Matris eradicat funda-
menta?

X. Vos interim Patres Matresque ex hac, quam recensui, historiâ, & ex multis, quas recensere possem, dis-

cite, quam frivola sit illa excusatio,

quam

DISCURSUS NONUS

quam vestræ præcipiti iracundia, & inconsultis diris prætexitis, dum dicitis: *Tam refractarios hodie liberos esse, ut non possitis non illis omnis generis mala precari.* Nam vel hac causâ, quod refractarii, & ad omne scelus proclives sint, cavendum est vobis studiis, ne adversa ipsis exoptetis; cùm sic paratissimi sint ad execrationum eatum vim sentiendam. Evidem quo formes est siccior, & aridior, hoc citius & facilius ignem concipit, quem in eum conjicitis: atque hâc causâ id cavendum vobis studiosè, ne hunc illi, inconsulti admoveatis. Et quamquam non statim protalis ejusmodi diris fieri videatis, quod optatis, idcirco credendum est, bruta tantum esse ejusmodi fulmina. Haud sanè ita seres habet: non in ventum prolata illa verba sunt, quibus maledicuntur: carbones sunt, qui ignem conceptum tam contumaciter fovent, ut vix unquam extinguitur. Carbones accensi ex Juniperō non semel annum totum, eti defossi in terrâ, extinti non sunt: vestræ autem diræ & execrationes metuo ne nonnunquam vim suam exerere pergent ad extremam usque & decrepitam ætatem eorum, quos estis execrati: quin propagare eam subinde poterunt ad seros usque posteros, sicut diximus solenne esse Justitiae Divinæ, cùm in posteris Majorum ac Genitorum delicta vult *I. 65. 7. plectere, Retribuam in sinum eorum ini- quitates vestras, & iniquitates Patrum vestrorum simul.* Addite, quod si prævi vestri sunt liberi, ut dicitis, tam non sitis eos meliores reddituri diris

Sap. 3. 1;

eos devovendo, ut semper potius se ipsis deteriores sint evasuri; cùm non corporibus tantum, sed & animabus liberorum pestem maledicta illa afflent: *Nequissimi filii eorum, maledicta creatura eorum:* ut Sapientia divina loquitur: perinde ac si diceret: Progenies sunt hominum maledictorum à suis Parentibus: *meledicta creatura eorum:* atque idcirco mirum non est si Parentes ipsi suos scelerum immanitate vincant. *Nequissimi Filii eorum.*

XI. Quâm igitur egregia est illa educatio, quâ Parentum aliqui castigare aliter liberos suos non nôrunt, quâm verbis? Spectant autem præcipue ad hanc catervam matres, quæ quod virium habent minus ad ferendum, cùm iussa liberi detrectant, hoc sunt lingua ad imprecandum promptiores. Aspidem marem ajunt duobus tantum dentibus instructum esse, cùm fæmella quarternis armetur, ut videatur, natura docere nos voluisse, quanto procliviores ad maledicendum sint fæminæ, quâm viri; quæ suis diris ipsis etiam aspides crudelitate vincunt: cùm aspides alienæ tantum prolixi malo dentibus armatae sint, fæminæ verò in suammet lœviant. Atqui non hæc ullâ ratione est vera liberorum educandorum norma, lingua contra eos uti, cùm manibus agere oporteat: *Stultitia colligata est in corde pueri,* ait per Sapientem Deus, & *virga disciplina fugabit eam.* Perinde ac si quereret: *Quod erit efficax remedium emendandæ & expellendæ ex animo filii stultitiae?* & responderet ipse



Ipse sibi. Non aliud, quam manus virgis armata. Haec enim non efficient tantum illam, sed procul in fugam agent: *Virga disciplina fugabit eam.* Et verò, discite his ipsis è verbis, quam nullo jure conqueramini, liberos vestros corrigi amplius non posse. *Spiritus Sanctus* non assertit studitiam teneris liberorum mentibus insitam quodammodo esse, & in ipsis hærentem visceribus, colligatam tantum affirmat, ut intelligant Parentes sedulâ educationis curâ, & paternorum exemplorum vi rumpi posse funes illos: quibus alligata potius est, quam adhærescat. Sed hodie ea vivimus tempora, quibus Parentes tam non ipsi liberos puniunt, ut ne ferre quidem possint eos à Præceptoribus ad commeritas pœnas vocari: & earum avium moe, quæ corporis sui præpingui mole frangunt potius ova, quam vitalem illis calorem conferant. & sensim animata excludant; ipsi quoque mansuetudine partum consuliâ opprimunt potius sobolem suam, & orco educant. Non mea, sed DEI hæc verba sunt: *Tu virga percuties puerum & animam ejus de Inferno liberabis.* Quâ manu filium percutis, hac eum arcet ab inferno, ad quem non correctus rectâ perget. Sed non ego jam eorum probo feritatem & immanitatem Parentum, qui non mitius liberos, quam faber incudem, assidue tundunt. Hoc non est veberare eos eo modo, quo *Spiritus Sanctus*, qui suavitatis & moderationis Spiritus est, cædi eos jubet. Hinc videre est, quod non dicit, baculo abigendam in fugam, quæ

R. P. Segneri Christ. Instr., Tom. I.

In corde pueri colligata est, stultitiam, sed virgâ discipline; ut doceat, correctionis pœnam respondere debere fini, qui spectatur, qui non est occidere: sed eruditire filium: *Si perchise Proverbiis virgâ, non morietur.* illa potius remedia salubria sunt, quæ naturæ convenient, quam quæ repugnant: nec alia correctionis ratio est, quæ est remedium delictorum: unde parvulis liberis domandis ars eadem adhibenda, quæ equorum pullis; his manu unâ blandiri oportet, alterâ virgam ostendere. Nunquam non præ oculis habenda illa, propria ætatis, judicij imbecillitas & inexperta simplicitas; nec eadem desideranda à cunctis domi exacta ad amissim disciplinæ ratio, ubi tam disparest ætate inveniuntur; sicut ipse etiam leges non easdem omnibus peccantibus pœnas statuunt, sed alias pro ætate: *Ætas tenella, aut florens, mitius L. auxiliū. ff. de min. §. indelit. dis.*

XII. Sed longius à semitâ me Parentes isti diris suis abduxerunt, quibus ut remedio utuntur ad liberos corrigidos, quod tamen ipso plerunque malo pejus est: etiam alio hac occasione evagatus sum. Redeamus igitur ad id, quod nobis propositum est. Abstinere profectò oportet, quoad ejus licet, ab idiomaticam perniciibili ob mala, quæ inde in liberos promanant, sed non minus abstinere oportet eos etiam, qui Parentes non sunt, ob perniciem, quam alijs mortalibus accersunt. In sobole quidem & crebriùs, & manifestius appetet detrimentum, quam in alijs. Sed

Q

non

DISCURSUS NONUS.

122
non ideo nullum infertur, quia non
apparet: nam vel ideo venenum
linguarum istarum serpentinarum
appellatum est venenum aspidum:

Psi. 13. 3. *Venenum aspidum sub labiis eorum:*
quia occidit, & non apparet. Si
tamen dubium, quod aliis inferatur,
malum à virtute tam fœdo vos non ab-
sterret, absterreat saltem certum, quod
vobis metu nocet, malum: malum
enim verò majus illo, quod timere
à vobis possint qualcunque, quos i-
dentidem diris ejusmodi fulminatis.

II.

VIII. Atque ut certissimum ha-
beatis, quod pronuntio, illud vobis-
cum animo reputate: quod male
precari alteri, peccatum sit mortiferum,
quoties illud aut mali, quod
optatis, parvitas, aut animi, quod
loquitur parum considerantis, levitas
non excusat. Vos quidem prom-
ptissimam habetis delicti vestri ex-
cusationem: *Pater, dicitis, proripi in*
has diras præcipitis ira impetu: non a-
nimo tantum damnum re ipsa inferen-
di. Sed in hoc multa occurunt, ex
quibus non facilè me extrico. Pri-
mò quidem, induci vix possum, ut
credam, vos, quoties ira concitami-
ni, fixum semper animo habere,
nolle vos inferti ea mala, quæ lin-
guâ imprecamini. Quin imò ple-
rumque tam vivus est in animo inju-
riarum, quas accipere vos putatis,
sensus, ut credi vix possit, verba vestra
bombum tantum esse, qui terreat, sine
globo, qui feriat. Si erit vicinorum
nonnemo, qui alterum ad Judicem
deferat; hujus sententia compellet ad

numerandum, quod allunde certò ille
novit, senon debere; cùm ira ex-
candescens, utinam, precabitur, hunc
tot invadant morbi. ut in pharmaca ex-
pendere cogatur argentum omne, quo me
emunxit. Aliás oviculam nonnemo
rapiet: cùm mox: Tot fures hi male-
dicti invadantur à Dæmonibus, quot
ovis pilos numerat: Et quæ sunt alia
æquè stulta. Ego igitur consideran-
do perturbationis vim, & verba, in
quæ illius impulsu prorumpitis, ve-
hementer metuo, ne, qui sic loqui-
tur, serìd loquatur, & alteri
ex animo optet malum, quod
vindicandi furore illi imprecatur.
Inter cunctas, seu terrestres, seu a-
quatiles animantes non est alia, quæ
linguâ polleat, præditâ tantâ vi pe-
netrandi, quantâ pîscis Purpura di-
ctus. Sufficiat dixisse, non esse tam
duram ullius è conchiliorum genere
testam, quam penitus penitusque
non transforet. Non minore pene-
trandi vi valere viderut eorum lingua,
de quibus dissero: tam profundè pe-
netrat in optando malo, non corporis
tantum, sed & animæ illius, quem
devovet. Et vultis tamen, ut cre-
dam, linguam hanc non minus mol-
lem ac blandam esse, quam sit me-
litensis catelli? Repeto; non pos-
sum induci, ut credam,

XIV. Et quando unquam verisimilius
apparet, sine peccato malum al-
teri optari, quam cùm illud optamus
malum Dæmoni, contra quem tot ex-
ecrationum fulmina in factis exorcis-
mis vibrat Ecclesia? Et tamen vel hic
agendum caute, cùm animus ira exarbit:
testa-



S.Th. 2. 2. q. 96. a. 1. ad 4. Testatur enim Sacer Textus, quod dum maledicit impius Diabolum, maledicit ipse animam suā. Et ratio est, quia cū maledicere Dæmoni non possumus, nisi propter impietatem ejus eo ipso, quod Impius maledicat Diabolo, maledicit & sibi ipsi; cū cum similitudine tam bellè exprimit, ut vix filius patrem tam ad amissim referre possit.

Rem. 2. 1. In quo alterum judicat, se ipsum condemnat. De cetero execrari Diabolum non licet cuiquam, nec ob ea, quæ à natura habet, nec ratione munieris, quod administrat; quo tamen uno ferme homines ad iram & Imprecationes concitat. Non ob ea, quæ habet à natura: hæc enim à Deo sunt, atque adeò bona sunt: non ob munus Tortoris & Carnificis nostri: sic enim non aliter eum quām ministrum & lictorem divinæ Justitiae considerare possumus, juxta illud: *Immissiones per Angelos malos.*

Pf. 77. 54. Quod si ita est, quanto erit facilius, ut quis debitos & præscriptos intra limites non se contineat, cū simili de causa alium execratur Christianum, qui quantumcumque alicui molestus sit, Dæmontamen nondum est.

XV. Est & aliud, ex quo conjecturam probabilem admodum capere possitis; vos non serio desiderasse, ut evetirent mala, quæ imprecati estis; quia nimis non diu post, ut vos assertis, vobis videtur, nihil eorum vos cupere, maximè cū filios, Fratres, & alias similes personas, vobis alias longè gratissimas excusatim. Verum & hunc excusationi multa occurunt, quæ reponam. Quid

enī resert, quod non diu post cū ad se redit mens, non optetis alteri illud malum, quod optaveratis tum, cū illi malediceretis? satis est, id vos optasse tum, cū proferebatis ea verba, et si voto celeriter prætervolante. Theologorum sententia est, quod si quem pœnitentem voti, cuius se religione paulo ante obstrinxerat, certo argumento non esse, id non satis deliberatā voluntate conceptum fuisse; cū ad hoc sufficiat assensus quilibet brevissimus & propè momētaneus, et si mox aliquem sui illius assensus pœnitentem. Nec aliud in re nostra tenendum erit, ut gravissimi Doctores affirmant, *Valens 3. quorum verba vobis adnumerarem, 3 disp. 3.* nisi vos de mea fide minimè ambigere, *2. Gra-* existimarem. Unde illa pœnitudo, *nad. 1. 2. 6. 72. Cas-* que plerumque Parentes (& ferme omnes alios) confessim subit, argu- *jet. 2. 2. 9. 76. 6. 1.* mento quidem est; quod cū reredit ira impetus, malum à se admissum cognoscant; at non inde argui certò potest, ne prius quidem & cognitum, & concupitum fuisse malum, dum in diras illas proruperunt. Potest quis telum arcu ejaculari, & mox dolens optare, ne feriat. An idcirco dicemus non peccasse, si cū res & ratio non sineret, illud est ejaculatus?

XVI. Illæ tandem se purgandi formulæ, aliquibus solennes. *Maledixi præcipiti ira impetu, non odio quo in Proximum ferar;* Etiam non expediunt omnia. Re ipsa enim impetus ille rationis freno non coëcitus nullo negotio facit, ut ira dein in odium degeneret, breve saltē, mutēque noxam in grandinem

Q. 2

illam

illam tempestatem, quæ non nisi in pluviam, cum strepitu quidem & sonitu, sed absque damno cadentem, debetar desinere. Non ita facile est, ut vobis videatur, animi imperum efficiem, excusare culpam, proprieatam, quod tollat necessariam ad peccatum deliberationem & mali cognitionem: neque enim perturbatio fermè tanta est, ut omnem admittat rei veritatem agnitionem. Vix ulla Eclipsis sic totum obnubit Solem, ut diem nocte permuteat, ne brevi quidem temporis intervallo. Non ita sit: ac proinde, Dilectissimi, pro eo quod sollicitè queratis rationes, quæ veri speciem tam exiguum habeant, ad elevandam abusus maledicendi turpitudinem: vellem e quidem excoquaretis potius causas, quæ ad seriam vos emendationem impellant: alias vobis!

XVII. Utinam non lateret vos, quantam inferatis magno DEO Injustiam, dum itati peritis, ut hunc lepra, illum gangrena, alium ulcus pestilens, mors denique alium invadat! Vos eâ ratione Judicis officium occupatis: Deo autem quam interim relinquitis provinciam? non aliam, quam Lictoris, Au hoc meo ex sensu me proferre existimatis? enim vero ita pridem sensit Sanctorum Doctissimus, & quidem subtilissime, Augustinus, Certum est, ait ille, quod *Judex homo, perse ipsum, reum non occidit. Judex dicit: Occide, & Tortor occidit.* Quoties igitur vestrum quis optat, ut DEUS è medio eum tollat, qui molestiam ipsi creat, quid agit? loco illum ac gradu mo-

vere vult, & ex Judice Lictorem facere. Et tu quando dicas Domino: Occide inimicum meum, te facis *Judicem, de S. & Deum queris esse Tortorem.* Et hoc Stephen habere pro eo qui est & pô, quād merito hac ille ratione conqueretur! servire me fecisti in peccatis tuis: dum tam contemptani ad conditionem eum redigere vultis, ut verbum ipse Lictorem aut Carnificem agat.

XVIII. Forsitan autem rem tam indignam ab eo petitis tacite, sic ut praeter ipsum exaudiat nemo? imò petitis vocem tam sonora, ut nemo non exaudiat: cum vestras fulminare diras non possitis, sine strepitu & clamore tam sonoro, ut cunctos ad audiendum excitet. Hoc autem si accidat, ut accidit sane quād crebro, an praeter injuriam, quam infertis DEO, non terret vos exempli, quo ad peccandum alios inducitis, pravitas? Heu miseris vestros liberos, teneros etiamnum! hoccine est præclarum illud exemplum, quo ipsi facem inde à primis annis præfertis? Istud vobis reputate, quod DEUS, dum vos eorum esse Parentes voluit, vos eo ipso constituerit vivam ideam, ad quam vitæ ipsi sua rationes comparent, & moribus ad unguem expriment. Ac proinde dicite ipsi, quod quantumque peccatum vestrum sit futurum, si pro eo, quod ipsos doceatis loqui, ut hominem Christianum decet; idioma à vobis condiscant, quod nisi audirent, vix crederent quemquam eouti aut posse, aut vel le?

*Plin. l. 17.
c. 10.*
le? Vedit olim Roma in ædibus nescio cuius Valerii Infantulam, quæ dentes matris ex utero secum in lucem attulerat; & tantus eo prodigo terror ac consternatio urbi injecta est, ut tota esset in indagando, quid tandem mali ferale hoc augurium portenderet. Ego autem, parum abest, quin dicam, hac nostræ ætate infantes omnes jam probè dentatos nasci, & annos, dum dentes crescant, non expectare. An non enim quotidie observare est, quod eti per ætatem vix aliquam Apostoli symboli partem balbutire didicerint, nō sint tamen, cum bilem illis quis moverit increpando, mala ipsi varia imprecari, optare ut illum. Daemon auferat, ut paralyxi, ut fulmine Deus eum feriat, ut quotquot molestiae aliquid illis inferunt, collum frangant, & his adhuc pejora? cur autem istud, & unde? hæc nimis ex Patre, hæc & his similia ex matre audierunt toties, cum illi in rebus contra votum cadentibus effervescent; & malè dociles imitari didicunt. Jure igitur meritissimo Sacer Vates linguas ejusmodi publicè maledicas sepulchris comparat, dum ex ijs halitus prodit tam pestifer, ut quoties aperiuntur, toties luem sanis afflent. Et si tuum maximè Parentum ori sepulchri nomenclatio conveniat, cum maledictis etiam turpia & blasphemæ miscent, quæ vel coram prostiuti pudoris mulierculis proferre pudor sit: linguae sanè plus quam semel carnales, quæ æratulam etiam sceleris purissimam flagitia docent. Ita

pronuntio, quia ab hac turpia loquendi libertate facilimus est transitus ad turpia perpetranda: *licentia Arist. turpiter loquendi, sequitur & turpia Polit facere.* Sic vel ille alienus à fide pro. ult. nuntiavit. Itane igitur vos vestrammet sobolem docere vultis, mala perpetrare, dum docetis malè loqui? Vestra est illa lingua, quæ toties in Sanctissimo Eucharistia epulo Deum recepit: & hac non pudeat ad verba tam fœda proferenda abutiri? Qui saniem expuit, vilceribus sanis non est. & qui maledictis etiam obsecna miscer, non potest non animum habere plenum illis fœdibus, quæ per os, tanquam pus fœtentissimum exundat.

XIX. Et verò non nocent tantum exemplo irâ concitatæ Parentum lingue, dum docent similia; sed etiam dum eundem furorem, eandem rabiem in eos propagant, quos diris suis compescere laborant. Mare concitatæ vaporess illos irritat, quæ terræ visceribus clausi tenentur; hi autem velut in furorem acti, ipsas maris turbas ac tempestatem augent. Eadem familiarium sors est. In his majores mala precantur minoribus, & his diris isti concitati & exagitati respondent Majoribus; & respondent haudquam timidè: & enī in Majoribus hac ratione geminatur tempestas ac furor, sicutque indies longilùs è Christianorum ædibus Pax ac tranquillitas exulant.

Dæterā

Q. 3

XX. Deterrimum est, quod liberi ipsi exutâ sensim reverentia erga Parentes, eò progrediantur, ut in eos ditas retorquent, quibus se devoveri audierunt, parum ad id attendentes, quanto magis ipsas illas dedecant. Si quidem eti cum in ejusmodi voces prorumpunt, non desiderent ex animo, Parentes iis opprimi malis, quæ lingua exoptant; non ideo non graviter delinquunt in patientiae leges, in pietatem ac reverentiam iis debitam, quibus post DEUM, tanquam causis sui esse, debent plurimum: quodsi autem unquam etiam verè hæc mala evenire desiderent, id sanè est longè pessimum. Prò quanta est inter Christianos inscita eorum nominum, quibus obstringuntur his, à quibus vitam aceperunt! Sed si audire lubet, quod res est, hæc ipsæ tenebræ pars sunt pœnæ, tam gravi noxæ respondentis, quā non pauci liberorum indies magis cæci oculos aperiunt nunquam; nisi cùm divino Tribunalis stundunt, vitâ interim perpetuâ inter funestissimas has tenebras ducâ, in que iis vitam ipsam abrumpendo, eo planè modo, quem DEUS verbis illis formidandis minitatus est: *Qui maledicit Patrem suum, & Matrem, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Hic Spiritus Sanctus medias tenebras culpam appellat: primæ siquidem tenebræ illa inscita sunt, in qua homo nascitur: ultimæ tenebræ sunt nox illa funesta, quā Damnatis ipsa etiam Fidei lux extinguitur; media autem tenebræ sunt vita in sceleribus acta, in quibus tandem moritur, qui tam

*Prov.
20.26.*

omnem in se pietatis scintillam extinguit, ut eos diris devoveat, quorum ipse beneficio diem aspexit.

XXI. Ex rationibus allatis hactenus, & aliis, quæ afferri adhuc complures possent, si molestus quis esse veler, duos velim, *Dilectissimi, potissimum fructus colligatis, quos ut afferrem Dissertatione hac spectabam unicè: Timorem inquam justum libertatis illius, quam linguae vestrae ad hanc diem concessistis, & decretum firmum ac stabile illam deinceps solertiùs frenandi.* Dixi, Timorem justum libertatis concessæ vestori, cùm ex omnibus, quæ hucusque in medium allata sunt, pronum sit colligere, quām non difficulter contingere possit, vestris illis Imprecationibus noxam vos graviorem concifere, quām primâ fronte videatur, tum spectando eos, contra quos dira ejusmodi fulminantur, dum iracundiâ, tum exempli pravitate, tum alijs, quæ comitari plerumque aut consequi solent, damnis consideratis: sic ut dubium jam non sit, quod Deus ipse afferuit, quod scilicet, *Maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet:* ^{Præg.} _{16. 2.} *id est, superveniet ei, qui protulit illud,* ^{V. Sala.} *Facile credi potest, nolle Deum quem-* _{zari in} *quam ex hac hominum progenie Cælo hunc* *potiri.* Aves, quæ rostro erant ad unco, & ad prædam duntaxat lanitandam idoneo, inter victimas offerri DEO non poterant, tanquam immundæ. Metuo ego, ne idem fatum eos maneat, de quibus nobis sermo. Solet DEUS pro sua infinitâ Bonitate miserari peccantes, non nego: sed



Sap. 1e6,

sed illud etiam animo reputare, non minus illum miseratione eorum moveri, quorum damno peccamus. Et hæc causæ non alia peccata minus paratam habent veniam, quam quæ Charitati repugnant. Innuere hoc Deus videretur, illo Sapientis effato: *Benignus est Spiritus sapientie, & non liberabit maledicum à labijs suis.* Quod idem videretur sonare, ac: *Spiritus Divinus est Spiritus benignissimus: quid fieri igitur: non liberabit hominem Imprecationibus assuetum à pœnis, quæ ob nocentem suam linguam ipsum manent.* Non liberabit maledicum à labijs suis: nisi malimus magis ad literam intelligere, quod ab ipsis labiis suis maledicum non sit liberaturus. An non autem, istud suppliciorum omnium foret atrocissimum? Ego sane non video, quâ severiore pœnâ plectere istos DEUS possit, quam ut sinat eos in pessimo suo maledicendi more invenienscere, quem inde à juventute contraxerunt: quem quidem morem ac assuetudinem excusare aliter subinde sacro arbitrio non possunt, quam ut dicant: aliter se facere non posse: ita se affuevisse: *ira impetu cōse abripi:* Sic ut denique turpi hoc ac noxio in vitio moriantur, quin unquam vero doloris sensu ab eo in vitâ abhoruerint. Ego sane ejusmodi linguam in ore meo nolle: viderer enim mihi esse non humanâ, sed serpentinâ linguâ, atrâ, colore ipso satis prodente malignitatem, quâ & ipsa intimè laborat, & quam aliis minatur.

XXII. Dixi secundo loco, carum mihi futurum, si tanquam fructum Dissertationis hujus mæz conciperetis decretum stabile & fixum, non peccandi de cetero hoc peccati genere; & quia serla hæc & constans emendatio tam facilis non est, finem Dissertationi huic imponam, docendo modum ac viam, quæ eā in re tenenda sit. *Linguam,* si recte S. Jacobus sensit, nullus hominum domare potest. Quid igitur factio opus est? An desistendum à conatu irrito, & post multum laborem nihil penitus profuturo? Negat id S. Augustinus, sed sicut ad domandum elephantem, eServi 44
de Verb. quum, camelum, & quamvis aliam Domini. belluam, quam nunquam eò reduci potest, ut ori suo frenum ipsa imponat, queritur homo, ita ad domandum hominem Deus querendus est, Deus queratur, ut dometur homo. Si proinde emendari vultis & corrigi, necessarium est, divinam opem & crebro, & magnis studiis implorare, demissè confitendo, quod vestris vitibus, vestro nisu id assequi non possitis, tum operis ipsius difficultate, tam pravæ assuetudinis vltio, quod difficultatem in duplum auget. Precibus his ad DEUM fusis necesse est vestram adjungere industriam, tantam omnino, quantam, dummodo velitis seriò addere potestis. Atque ita, si re ipsâ liberari vultis usu hoc impetrandi pessimo, aut multam vobis ipsis pœnalem imponite, aut cum animi arbitrio transfigite, ut ille certam pœnam.

pœnam imperet, quoties deinceps linguâ sic labi contigerit. Emplastrum hoc acre ac mortificans sanabit, plagam & diuturnam, & continuo pulsis fluxu molestam, dummodo ejus usus constans fuerit; nec est, quod de eo ambigatis. Atque ita gemina hæc media, Divinam opem quām studiosissime expertendi, & nihil non ex parte vestrâ ad emendationem conferendi, præparabunt animam ad accipendam à Deo gratiam illam singularem, ut ipse regere ac freno circumducere linguam vestram velit, tum maximè cùm iræ impetus ager præcipitem, & nunc ad dexteram, alias ad sinistram illam movebit, prout aut Divini ob-

sequij ratio, aut proximorum commoda postulare videbuntur. *Hominis est Provi, 1. Animam preparare, & Domini gubernare linguam.* DEUS, qui quod dicit facit, vestris nunc linguis bene precando mutet illas ex pravis in bonas, & ex maledicis in bene precantes, sic ut nunc non aliud, quām fausta omnia, etiam injuriâ lacecentibus precari doctæ, mereantur benedictionem illam benedictionum omnium faustissimam, quā DEUS extremitate Mundi die Electis omnibus optimè precabitur, propterea quod nullo non tempore eo affectu Proximos quo se ipsos, sint prosecuti.

DISCURSUS X.

De Juramento,

*Ariß. 1.
7. hist. c.
10.*



Dmitatione non carer, quod tot documentis ipsa nos Natura erudit ad caute loquendum. Impresum enim, si verum est, linguam inter omnia humani corporis membra postremam maternâ in alvo perfici, videtur illa non nisi agrè dubieque admodum posse induci ad ultimam manum gladio formando admovendam, qui plerunque illi, qui eo nudo, & vaginâ suâ extracto utitur, plus detrimenti afferit, quām emolumenti. Deinde Infantulus vix natus os quidem ad flendum diducit, mox tamen illud etiam admotâ manu

tegit, tanquam demonstraturus, quin tamen sciat, quid agat, quām necessarium sit tracere, & quām difficile loqui vel interlamenta. Quam proinde causam Lib. de esse existimatis, quærit S. Basilius, ob quam Natura tot monumentis, internis atque ac externis, dentibus inquam & labris, linguam circumdederit? Factum id magno consilio, metu nimilum, ne homo tam promptus ad excurrendum lingua, definitos limites transiliat. Et verò an non videtis in limitaneis urbibus, quæ Provinciarum aditus tuerentur, quot pontes versatiles demitti, quot portas pandi necesse sit, ut exitus pateat? Fiunt hæc omnia timore hostium, in insidijs aliqui-